

L. 2.

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DC LXXXII

publicata,

1682



ac

SERENISSIMO FRATRUM PARI,

DN. JOHANNI

GEORGIO IV,

Electoꝛatus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO

AUGUSTO,

Ducibus Saxonix &c.&c.&c.

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS

dicata.

*Cum S. Cæsarea Majestatis & Potentissimi Ele-
ctoꝛis Saxonia Privilegiis.*

LIPSIÆ,

Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLETITSCHIUM,

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.


Anno MDC LXXXII.

1682



5969

596910



THE UNIVERSITY OF BONN
LIBRARY

*POTENTISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI*

**DN. JOHANNIS
GEORGII III,**

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, S.R. Imperii ArchiMarschalli & Electoris, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae, Superioris item ac inferioris Lusatiae, Burggravii Magdeburgici, Comitis Principalis Hennebergici, Comitis Marcae, Ravensbergi, & Barbiae, Dynastae in Ravensstein &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

Pignoribus sacratissimis,

*SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS*

**DN. JOHANNI
GEORGIO IV,**
Electoꝛatus Saxonici Hæredi,

&

**DN. FRIDERICO
AUGUSTO,**

Ducibus Saxonæ, Juliæ, Cliviæ &
Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus
Misniæ, Superioris item ac inferioris Lusatia, Comiti-
bus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marca,
Ravensbergii, & Barbiæ, Dynastis in
Ravenstein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.



Ua per mensium hæcenus intervalla,
eoque non nisi particulatim oblata, gra-
tiosissime excepistis, **DOMINI CLE-**
MENTISSIMI, Eruditorum Acta, ea
uno nunc, post absolutum primum annum, volumine
comprehensa, Serenissimo Vestro conspectui animo ob-
sequentissimo sistimus. Sanctissimis enim Vestris,
Literata juventutis **PRINCIPES**, Nominibus sacra
hæc esse Acta voluimus, quod concinnandis iis non a-
lio instituto, quam Vobis ut serviremus pro virili, ma-
num admovimus. Etenim sic reputabamus animo,
cum literarum studiis incumbendum strenue, nec alia
re ulla magis, quam disciplina hæc atatem vestram
excolendam esse statuatis, non ingratum esse nos aut
inutile quid præstituros Vobis, si quæ toto hodie orbe
ornandis literis perficiendisque pulcherrimarum re-
rum scientiis geruntur, in tabella velut Celsissimis o-
culis vestris sisteremus, & quam late quod Eruditione
vocamus pateat, quamque varium sit, vel unius alte-
riusve anni, qui tot præclara diversissimorum monu-
menta ingeniorum atque studiorum nobis peperit,
specimine ostenderemus. Itaque licebit Vobis jam,
FRATRES SERENISSIMI, velut Literati Or-
bis Academiam ingredi, omniumque Facultatû viros,
Theologos, Jctos, Medicos, Physicos, Mathematicos,
Criticos, Historicos, Politicos, nec otiosos eos, sed di-
versis quidem honestissimis tamen omnes studiis oc-

cupatos contueri, simulque attendere animo, quamnam ex tanta literarum optimarum copia, genio vestro arrideant maxime, quibusque excolendis deinceps impendatis operam. Nam licet in omni illo humanioris doctrinae genere nihil sit, cuius pudere Principem debeat, aut quod illo fastigio atque culmine, in quod Celsitudo generis Vos collocavit, parum videri dignum queat: Vobis insuper, **PRINCIPES SERENISSIMI**, ingenium obtigerit Divinum plane, quodque complecti ambitum illum omnem politioris doctrinae valeat: persuasum tamen habemus, non requiri a Vobis, ut totum hoc literarum aequor, quod vastum satis vel hac Acta produnt, peraretis, sed seligenda ex tanto rerum esse cumulo, quae aut usum Vobis in gubernanda aliquando Republica certum solidumque praebent, aut in qua naturali quadam propensione feramini, & nunc pastura suavissime ingenii vim, & olim inter gravissimas imperandi curas, oblectationi Vobis atque recreationi futura. Istum modo, **SERENISSIMI PRINCIPES**, servate Musis animum, quo complexi earundem Sacra ab ineunte aetate estis, & quam incredibili illo vestro in literas amore jamdudum omnibus ingenuarum artium studia profesis spem ostendistis, illustri admodum nec laudando in omnem posteritatem satis exemplo tuemini. Nam tantum abest, ut non constare amplius honorem suum literis queramus, aut non constiturum

stiturum aliquando metuamus, ut jam seculum in
his saltem regionibus cogitatione precipiamus Eru-
ditum, quo profligata, quæ subinde movere lacertos
suos ac spiritum recipere videtur, barbarie caput
extollent bonæ artes, ac literarum studia ad invi-
diam usque efflorescent. Enimvero quid non ma-
gnificum polliceamur Musis, quæ tantis sumptibus,
tamque provida cura POTENTISSIMI PAREN-
TIS VESTRI, non minus quam in imis telluris re-
cesibus aurum, gemmæ & pretiosa quæque beni-
gno influxu Solis, animantur, eriguntur, nutriun-
tur: quas principes in Aula, seu toga seu sago, Viri
toto complectuntur animo: quas, quod erat præci-
puum, Vos, SERENISSIMI FRATRES, honestissi-
ma emulatione, ac studio prorsus inusitato, heroica-
que indole vestra dignissimo, sub moderamine Ge-
nerosissimi ac incomparabilis Knochii vestri colit-
tis. Utique, si recte facere cives suos Princeps o-
ptimus faciendo docet, ut de Augusto Vellejus lo-
quitur: sique est (quod Lipsio facile largimur) im-
possibile, ut Sui dissimilem formet Princeps Rempu-
blicam, dubitandum non est, quin illustre hoc exem-
plum vestrum Generosæ Juventutis florem univer-
sum ad excolenda diligentius literarum studia, e-
gregie excitaturum sit; modo secum ille reputet, ad
gratiam tantorum Principum adspirare posse nemi-
nem, aut locum aliquando in Aula Eorundem, in
Senatu,

Senatu, in Exercitu habiturum, nisi qui virtutem æmulatus vestram literarum ante studiis ingenium probe expoliverit: quamque alienum a decoro sit futurum, si exquisitæ eruditionis Principes circumstant ministri literarum omnium expertes, & admiscenda erudita colloquia, quibus hoc jam tempore nihil Virtuti Vestræ accidit jucundius, & quorum vicissitudine graviores olim curas solabimini, apti eum ineptissimis. Nec est, cur quisquam metuat, ne ab armorum studio avocentur Equestris ordinis ingenia studiis operata strenue, animique blandissimarum literarum consuetudine mollescant aut imbelles reddantur: ex quo non apud exteros tantum, Gallos cumprimis, supremos cordatissimosque belli duces arte non minus quam Marte excellere, sed a POTENTISSIMO quoque GENITORE VESTRO, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, exercitus florentissimi curam Viris solide doctis ac literatorum amantibus commissam vidimus, Deus vos fervet, Principes Serenissimi, & studiis ita vestris actionibusque cunctis moderetur, ut Amor ac Deliciæ generis humani æternum audire mereamini. Dab. Lipsiæ Calendis Decembr. Anno MDC LXXXII.

VESTRARUM SERENITATUM

Subjectissimi

Actorum Collectores.

Le&tori Benevolo Salutem!



Uemadmodum Seculo nostro eam jure optimo gratulamur felicitatem, quod Artes omnes Scientiarumque, & Literarum quarumcunque Studia, summum ad fastigium enituntur, illudque indies propius attingunt: ita magno omnium, quotquot literis operantur commodo, ipsa Rei Literariæ Historia, diversarum Gentium studio, non ita pridem tradi sic coepit, ut multo faciliori nunc, quam olim, negotio, quid in quovis fere Europæ angulo Eruditorum ingenia moliantur atque præstent, cognosci cuique possit. Septendecim nempe jam anni sunt, ex quo Angli atque Galli, Gentes ut armorum olim, ita literarum nunc exercitatione æmulæ, Historiam Literariam, Illi quidem *Transactionum Philosophicarum*, Hi *Diarii Eruditorum* titulo, aggressi sunt componere: illudque institutum, præclarum sane atque fructuosum, curante apud illos *Hooekio*, apud Hos *Abbate Roquio*, Clarissimis diligentissimisque Viris, in hunc usque diem strenue prosequuntur. Eo tamen discrimine, quod Angli experimenta in primis & observata Physico-Mathematica publici juris faciunt; e libris vero vix alios, quam qui ad rem spectant Physicam, Medicam, aut Mathematicam, recensent: Galli e diverso per omnium Artium & Scientiarum spatia feruntur, Universalem magis diffusamque Rei Literariæ Historiam adornantes, Gallorum exemplum secuti inde ab anno 1668 sunt & Itali, studio atque constantia non minori. Nam tametsi in urbe Veneta, huic rei manum qui admoverant, telam coeptam, incertum qua causa, abruperunt dudum; Romæ tamen Ephemerides Eruditorum (*Giornali de Letterati*) celeberrimi *Abbatis Nazari* studio continuantur indefesso. Ast in Germania simile quid tentatum hactenus fuisse, non meminimus. Nam *Illustri Societatis Naturæ Curiosorum* institutum, ut laudandum omnino est, Genti que nostræ haud exiguum decus etiam apud externos conciliat; ita ut plurimum intra Naturalis Scientiæ atque Medicæ Artis pomœria se continet. Itaque cum in lucem nondum
pro-

prodierit, qui universalis aliquod Systema, Gallorum atque Italorum ad morem, polliceretur; licuit, opinor, nobis, citra cujusquam invidiam, vacuum veluti locum occupare. Qua etiam libertate freti decrevimus, Supremo favente Numine, in concinnandis edendisque Literatorum Actis, Exterorum industriam utcumque in posterum sic imitari, ut certa Actorum pars singulis in annis mensium Calendis lucem publicam adspiciat. Quemadmodum vero laudatarum Nationum unaquæque lingua vernacula, suas secuta rationes, in hoc scribendi genere utitur: ita nos, ut latinum nunc sermonem nostro præferamus, prægnantibus utique causis adducimur. De quibus tamen, ut & tota reliqua instituti nostri ratione, consulto plura nolumus nunc præfari. Nam ex ipsis Actis cognosci eam malumus: ac interea Apellem imitati, subjiciemus nos lubenti animo Lectoris cordati candidique judicio, modum ac rationem feliciter continuandi, aut pro re nata emendandi operis vel inde collecturi; nonnullis fortasse etiam regeaturi illud, *Nesutor ultra crepidam*. Nisi forte monendum adhuc verbo est, nullius hominis scripta carbone nos esse notaturos: ast nec vitio verti Nobis debere, seu styli inæqualitatem, quæ vel ex ipsa materia, ac ingeniorum Actis hisce manum admoventium, varietate nata est, seu minus accuratum in disponendis argumentis ordinem, in tali scilicet scriptione, qualis hæc nostra est, minime requirendum. Vale, Lector Benevole, ac quem hoc ipso die, Divini Numinis gratia, auspiciamur annum, cum plurimis sequentibus, ex voto animique sententia transige, conatibusque nostris fave. Dab. Lipsiæ ipsis Calendis Januariis, Anni Salutis Reparatae M DC LXXXII.

(2):(1):(20)
ACTA
ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno M DC LXXXII.

MUSÆUM REGALIS SOCIETATIS.

Or, a Catalogue & Description, of the Natural and Artificial Rarities, belonging to the Royal Society &c. by Nehemias Grew Med. D. &c. vohereunto is subjoynd the comparative Anatomy of Stomachs and Guts: by the same Author &c.
London 1681.

Catalogus & Descriptio rariorum rerum Naturalium & Artificialium, quæ perinent ad Societatem Regalem: per *Nehemiam Grew*, Med. D. cui subjungitur Anatomie Comparata Ventriculorum & Intestinatorum: per eundem Autorem &c.

Londini 1681. fol.

UTi felici hætenus progressu per plures annos studia sua, pro Naturalis scientiæ ac Medicinæ, hinc & aliarum artium majori complemento, continuavit Illustris Societas Regia Anglicana, ita interea temporis insignem supellectilem plurium rerum, tam naturalium quam artificialium collegit, & in Musæum suum ceu Gazophylacium recondidit, primo hujus fundatore existente *Daniele Collwall*, Armigero. Ut vero recondita curiosa pluribus innotescerent, exactam eorum descriptionem instituit *Nehemias Grew*, Med. D. & dictæ Societatis olim, post defunctum *Oldenburgium*, Secretarius. Præmisit vero Naturalia, quibus subjunxit Artificialia, observando in istis quidem trium naturæ regnorum ordinem. In descriptione ipsa ita se gessit, ut incognita, vel alias non delineata, exacte de-

A

describat, recensita jam ab aliis, suis ubique scriptoribus debita allegatione tribuat, vitiose ab aliis tradita, studiosè corrigat & emendet: subjungendo simul subjectorum magis curiosorum figuras convenienter æri incisas. Nec historica saltem enarrationi inhæsit, sed subinde succinctas etiam ac elegantes speculationes, ut & curiosas observationes inseruit, Lectori non minus jucundas quam utiles. Ex ingenti hoc Cornu Copiæ, saltem pauca quædam excerpere placuit.

Ex ANIMALI REGNO se offert *Mumia Ægyptiaca* integra p. 2. in qua non tantum molliores partes conditura balsamica undique penetravit, sed etiam ipsa ossa ita infecit, ut penitus nigra reddita, adusta quasi videantur. Unde probabiliter colligit autor, quod Ægyptii balsamanda corpora coxerint in Caldario, in certa quadam balsami liquidi specie, donec aqueæ partes corporis exhalaverint, oleosa vero & gummosa balsami substantia penitus se insinuaverit. Qua occasione simul parilem condiendi corpora rationem, per coctionem aut macerationem eorum in oleo v. g. juglandis nucis, profusè speciatim anatomico proponit. *Integrum porro systema Arteriarum, Venarum & Nervorum*, artuum pariter ac viscerum, ex corpore humano, Patavii, sub anatome, extractum, & in Tabula exacte explicatum, p. 4. *Ignavus seu Pigritia*, p. 11. *Tamandua major*, p. 14. *Cranium Hippopotami* seu potius *Bupotami*, in Scriptura Sacra dicti Behemoth, ab aliorum erroneis descriptionibus vindicatum, p. 14. *Echinus Brasiliensis* seu *Tatu* aut *Armadillo* p. 17. it. *Tatu* porcicus & *Tatu* Mustelinus, nullibi descripti: p. 18. & 19. *Sciurus volans*, p. 20. idem apparenter animal, quod sub nomine felis volantis designat Scalliger. *Cutis integra Rhinocerotis junioris* p. 29. *Crocodylus*, in sacris dictus Leviathan, p. 41. ejusque *skeleton*, p. 42. exactè descriptum, ubi simul motus maxillæ superioris, tam hujus, quam aliorum quorumvis animalium, ceu fictitius redarguitur, p. 45. *Caput Hungum, seu Rhinocerotis avis*, h. e. Corvi cornuti. p. 58. it. *Corvi Coronati*, p. 59. *Caput Toucan* seu *Pica Brasiliensis* p. 60. *Avicula Guanumbi*, p. 62. *Caput Ciconiæ Indicæ*, nullibi descriptæ, p. 64. *Penguin* seu *Anser Magellanicus* Clusii. p. 72. *Cossa Tritonis*, p. 81. *caput Xiphie inferioris*, p. 87, nondum descriptæ. *Monoceros marinus minor*, nusquam alias, sed hic accurate descriptus. p. 104. *Remora piscis*, ejusque descriptio clarior, cum consideratione traditionis, de potentia ejus sistendi motum navium

navium, p. 106. *Hirundo marina* Salviani, p. 116. *Stella marina*, levior, arborefcens, coronalis, hactenus non defcripta. p. 122. 123. Quibus accedunt *Conchyliorum 600 differentia*, eodem in Mufæo affervatæ, p. 124, quæ inter, *Cochlea dactylata*, nondum defcripta p. 135. it. *Cochlear turbine antico*. p. 136. it. *Spondylus echinatus & corallinus*, nondum defcripti. p. 145. quorum omnium differentias, in Tabulas ordinate difpofitas, pro varietatis faciliori apprehenfione, fedulus autor fubjunxit, p. 150. Sequuntur hæc, alia inter, *Mufca feu potius Locuftæ fpecies*, *Cucujus Peruvianus*, capite noctu lucente, penitus differens ab eo, quem defcribit *Moufetus*, adeoque ab alio haud delineatus. p. 158. it. ex fcarabeorum genere, *Carabus India Orientalis* maximus, it. craffus, it. longus, a nemine adhuc expofiti. p. 165. 166.

Animale regnum excipit VEGETABILE: in quo imprimis fe offert *Ramus arboris fœtida* p. 180. ita dictæ, quod fortiffimum excrementorum humanorum foetorem fpiret, etiamfi aliquot annos jam affervata fit; aft dum comburitur, nullum odorem fpargit. Hinc tractus, quos India utraq; fert, plures; in fpecie *fructus Palma Coccifera*, die Cocos *Muß*, exacte defcriptus, p. 197. cum explicatione multiplicis ufus arboris cocciferæ, ejusque partium. *Nuci dactylus* nullibi defcriptus, p. 204. *Nux Cacaw*, p. 204. cum ratione parandi ex granis ejus, feu potius nucleis, Chacavlatam: quodque ex amygdal. dulc. faccharo ac fpeciebus aromaticis potus æque gratus, ac optima chacavvlata parari queat. *The Butter-Nut* ex nova Anglia, nufpam defcripta, p. 205. *Avellana purgatrix Mexicana*, exacte explicata, p. 206. una cum obfervatione virtutis ejus laxativæ, fimpliciter in tenui membrana, interius, intra quali-nucleum, complicata refidentis. p. 207. *Nux Metella*, & genuina *Nux Vomica*, communiter ex nominum transpofitione confufæ. p. 210. *Conus Cedri Magnæ* ex Libano. p. 212. *Maizum, feu frumentum Indicum*, p. 222. ubi autor fimul varios præparandi iftud modos, pro ufu tam alimentofio quam medicamentofio recenset. *Papyrus feu potius Cyperus Nilotica*, p. 226. cujus medulla (cum aliorum vegetabilium vel cortex vel folia ufui fcriptorio infervierint) in paffam contufa, hinc in tenuis folia expanda, & hæc denuo apte compofita, papyrus fcriptorium olim fubminiftravit. *Radix Ninfen*, Chinenfium quali panacea: p. 227. cujus planta penitus hactenus fuit incognita, pictura tamen ejus par

riter in Musæo hoc affervatur, p. 376, & ab autore delineatur, quod caulem exhibeat, triticeæ graminis crassitie, pedis unius altitudinis, cum foliis similibus istis leucocii lutei seu cheiri: flores dum adhuc complicati, rubescant, aperti vero conspiciantur albi, trini semper juncti, ex 6 foliolis compositi, formati fere instar moly flor. orbiculato Bauhini, non tamen adeo magni. *Rad. Ari Egyptiaci*, p. 228. circa quam observat Autor, radicem ejus annuatim regenerari novam, pro plantæ perennitate, ex ipso ejus caule, id quod pariter in aliis plurimis plantis obtineat, minus licet a Botanographis observatum: modum regenerationis vide c. l. Sequuntur *frutices marini* plures, tam lignei, quam corneo lignei, p. 244 & sq. cum consideratione, quomodo nutriantur, ab ambiente fluido, per radices non ramosas, sed membranæ instar, super solidum quoddam corpus expansas, ob id molliusculas, & quasi spongiosas, præsertim recenter collectæ si fuerint.

Ad Regnum Minerale que spectant, nec non Artificialia, Februarii: appendicem vero, Martii Calende proxime, volente Deo, sistent.

SACRUM ANTIOCHENUM CONCILIUM

pro Arianorum Conciliabulo passim habitum, nunc vero primum ex omni Antiquitate autoritati sue

restitutum,

opera ac studio

D. EMANUELIS a SCHELSTRATEN

S. S. Th. D. Eccl. Antverpiensis Canonici

& Cantoris.

Opus, in quo nomina Episcoporum cum Actis Synodicis ex editis & Mss. Codicibus eruuntur, tota Synodi anno 341 in Orientis Metropoli habita historia contra recentiorum opinionem illustratur, quin etiam occasione 25 Canonum ibidem constitutorum exponuntur prisca Episcoporum jura cum Metropolitum Orbis notitia, antiqui Christianorum ritus cum Orientalis Ecclesie disciplina, præcipua demum fidei Catholica mysteria, & inter illa Confessio auricularis a Christi
sto ad

*sto ad hæc usque tempora per Orientis universi, Egypti, Africa, Italia & Angliæ regiones posteritati tradita. Ad-
ditur pro coronide de schismatico Eusebianorum conventi-
culo Antiochiæ post veram ibi Synodum celebrato Disserta-
tio historica. Antverpiæ A. 1681. in 4to.*

Intentio Autoris generalis fuit, imitari in Antiquitate Ecclesiastica
perscrutanda Baronium, Antonium Augustinum, Perronium,
Bellarminum aliosque, præfationis p. 1. & 2. quo studio ediderat jam
A. 1678 *Antiquitatem illustratam circa Concilia Generalia & Provincia-
lia, Decreta & Gesta Pontificum, & præcipua totius Historiæ Ecclesiasticæ
capita; Anno vero 1679, Ecclesiam Africanam sub Primatu Carthagenensi.*

*Specialis; Antiocheni, de quo scribit, Concilii confirmationem
impetrare a Pontifice; in quo fatetur, se sequi Ferdinandum Men-
dozam, qui industria sua ad confirmandum Illiberitanum Concilium
contulerit multum; sub initium Epistolæ primæ ad Innocentium XI,
quam hunc in finem exaravit totiq; tractationi præmisit. Confer alia-
ram ad eundem sub finem Operis, p. 699.*

*Specialissima; de promere hinc præter historica, nonnulla etiam
dogmatica, quæ partim faciant ad ritus Missæ probandos, præfat. num.
6. tametsi ibid. a Patribus Antiochenis non exponi, in quibusdam confi-
stat hoc sacrosanctum mysterium, non diffiteatur; partim, quæ confes-
sionem Sacramentalem concernant, num. 7.*

Tractatio ipsa absolvitur dissertationibus quinque. Quarum
Prima agit de causa Athanasii & occasione ac autoritate Antiocheni
Concilii. *Secunda* de Episcopis, in hoc Concilio præsentibus. *Tertia*
*de iis, quæ ad fidem spectant & in hoc Concilio decreta sunt. Quar-
ta* de Canonibus hujus Concilii 25 agit. *Quinta* continet Appendi-
cem de Actis post Synodum Antiochenam, deque Eusebianorum Con-
venticulo.

Nervus totius hujus tractationis per elegantem *ἀνακρίσιον*
ἀνάκρισιον continetur in epistola altera ad Pontificem p. 699 & 700. Verbo:
Inter Antecedentia Epistolam a solis Eusebianis ante Synodum de fide
conscriptam, & formulam ab eisdem aliquot mensibus post Encaniam con-
fectam, cum occasione hæresis Ariani editæ sint, ob prætermissam vocem,
consubstantialis suspectas habet; & inter consequentia, statuta & de-
creta

creta a quadraginta Ariti complicitibus post Synodum edita, imprimis Athanasii damnationem, posthumo Eusebianorum Conventiculo adscribendam plane detestatur; Canones v. XXV a nonaginta Patribus in ipso Concilio formatos probat & commendat.

EUSRATII JOHANNIDIS ZIALOWSKI RUTHENI

Brevis Delineatio

ECCLESIAE ORIENTALIS GRÆCÆ,

nunquam antehac, nunc vero cum notis
evulgata

WOLFFGANGO GUNDLINGIO,

Eccles. ad D. Laurentii apud Noribergenses Ministro.

Norimbergæ, in 8. 1681.

Opusculum hoc Autor, homo religioni Græcæ addictus, Viro Clarissimo, *Johanni Vogelio* Rectori Scholæ Sebaldinæ, anno 1621 ante abitum suum mense Octobri reliquerat, occasione scribendi accepta a *Georgio Maurio* Professore Aلدorffino, cujus hospitio *Eustratius* Aلدorffii degens usus fuerat. Hoc inter foceri sui, modo laudati Vogelii scripta reperiens *Wolfgangus Gündlingius* publica luce dignum esse vel eo nomine censuit, quod pauca admodum de statu Ecclesiæ modernæ Græcæ ad nos pervenere: suspecta vero multa, præsertim quæ a Latinis communicantur. Idem quæ brevissime in hac delineatione continentur, notis eruditis illustravit; hac methodo servata, ut (1) in quibus *Eustratius* cum aliis, qui de Religione hodiernæ Græcanicæ Ecclesiæ scripserunt, conveniat, in quibus discreper: (2) ubi Græci cum Latinis pugnent, ubi idem sentiant & loquantur: & (3) ubi eorum, quorum in hac delineatione fit mentio, vestigia in Ecclesia antiqua reperiantur, diligenti studio annotaret.

Inter alia observatione digna *Gündlingius* a p. 69, ad p. 83, sex recitat formulas *Symboli*, quod perhibetur esse *Athanasii*. Prima est, quam *Gilbertus Genebrardus* adeptus est ex MS. Lazari Baiffi a

Diony-

Dionysio Episcopo Zicaensi & Firmiensi Anno 153 oblato. *Secunda* est, quam olim evulgavit Basileæ Nicolans Bryling, deinde in Gallia Henr. Stephanus Anno 1565. Quæ duæ formulæ septem in locis invicem dissident. *Tertia* est Philippi Labbei & Gabrielis Cossartii XL vicibus varians. *Quarta* est Ecclesiæ Constantinopolitanæ juxta Genebrardum, de qua mirum discrepante a præcedentibus, etiam quoad integras voces & constructiones, non immerito quis dubitare posset, annon sit supposititia, aut minimum corrupta, cum viderit S. 15. addi verba $\delta\alpha\tau\omicron\ \tau\tilde{\delta}\ \psi\tilde{\delta}\ \epsilon\kappa\tau\omicron\beta\epsilon\upsilon\tau\omicron\nu\ \ (\epsilon\kappa\tau\omicron\beta\epsilon\upsilon\delta\omicron\mu\omicron\nu)$: siquidem constet, Græcos hæc verba in Symbolo Athanasiano non legere. *Quinta* hujus Symboli editio est, prout habetur Tom. II. Opp. S. Athanasii edit. Commel. p. 38. ubi notandum, in Versione quidem Latina hujus exemplaris legi: Spiritus S. a Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens: In Græco vero verba $\delta\alpha\tau\omicron\ \tau\tilde{\delta}\ \psi\tilde{\delta}$ non apparere. *Sexta* est, quam Labbeus ex Usserio, Usserius ex Patricii Junii apographo Anno 1647 publici juris fecit. Ex diversis his Symboli Athanasiani formulis, quæ sit ipsius Athanasii, difficile erit divinare. Omnes has unius esse Autoris, tot insignes mutationes non concedunt. *Voces* $\delta\alpha\tau\omicron\ \tau\tilde{\delta}\ \psi\tilde{\delta}\ \epsilon\kappa\tau\omicron\beta\epsilon\upsilon\tau\omicron\nu$ Symbolo huius a Latinis intertextas esse, inde probabile fit, tum quod sic etiam fecerint Symbolo Nicæno, ut prolixè ostendit Autor a p. 54, ad p. 68, tum quod usque ad Seculum XIV nemo contra Græcos Symbolum Athanasianum produxerit, cum tamen controversia de Spiritu S. processione jam quingentos annos durasset.

LE PRUDENT VOYAGEUR,

par le Chevalier Louis du May, à Geneve. 12.

Peregrinator prudens, autore Ludovico

Majo, Equite. 1681.

Quid observandum sit isti, qui potiores orbis partes peragrare propositum habet, insigni exemplo ac veluti specimine in hoc libro ostendit Autor, dum apud omnes gentes quid obtineat, exacte refert. Asiæ enim, Africa & America, sed cum primis Europæ statum exponit, illustresque familias & earum ortum, genea-

genealogias, ac fata: Rerumpublicarum conditiones, provinciarum & regionum situs, fertilitatem, robur, magistratus, quidve cuius earum conducat aut noceat, omnem denique civilem scientiam recenset.

Universum opus in tres distinxit partes, quarum *prima* veluti generalis, partium universi orbis situm & conditionem exponit, inque finibus designandis occupata est, initio ab America, Asia, & Africa facta: quas tamen tres orbis partes levi brachio attingit, & tribus Discursibus earum historiam absolvit: inde ad Europæ, quam potissimum exhibere sibi proposuit, provincias, regna & principatus, Resque publicas progressus, Græciæ primum ac Thraciæ, Turcarumque gentis, inde Moscoviæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, Britannia, & cumprimis Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Italiæ: in eaque Regni Neapolitani, Status Mediolanensis, Papæ, Venetorum, Ducis Sabaudia, Magni Ducis Hetruriæ, Ducis Mantuæ, Modenæ, Parmæ & Urbini: Rerumpublicarum, Genuæ, Luccæ, minorumque Italiæ Principum: tandem Hungariæ præsentem statum exponit.

Alter a Germaniæ potissimum statum & regiminis formam exhibet, Imperiique circulos & originem ac progressum illustrium in ea familiarum, Imperatoris, Electorum ac Principum; liberorumque Statuum rationem tradit. Ducto igitur ab Imperatore initio ejusque excelsa gente, qua ratione illi innexæ & divulsæ iterum sint illustres aliquot Domus, enarrat. Inde Burgundici circuli, istique illigatarum Belgii provinciarum, ab Imperio hodie avulsarum, Principis Arausionensis, aliarumque illustrium Belgii familiarum: circuli item Rhenani, domusque Lotharingicæ & Hassiæ hodiernum statum exponit. Inde Electoralem dignitatem, & quæ isthac gaudent illustres Familias recenset: & posteaquam tres Ecclesiasticos Electoratus, Moguntinum, Coloniensem & Trevirenses leviter attigisset, secularibus eorumque; Domibus pressius inhæret, Palatinæ cumprimis genealogiam exhibens. Ad Franconicum dein circulum progressus, quæ ad istum pertinent illustres Domus & liberas Imperii civitates enumerat: eadem ratione Bavarici, Suevici (in quo prolixior est, dum Serenissimorum Würtembergiæ Principum genealogiam recenset & eorum provinciam describit) Westphalici, superioris & inferioris Saxonicæ Circulorum historiam pertexens, & hanc partem tractatione de

Vicariatu Imperii, & regiarum Imperii Romani inde usque a Carolo Magno urbium ratione claudens.

Tertia pars tota circa Hispaniam occupata est, cujus tractationem historicam & politicam exequitur, ac cum primis veras rationes indagat, quibus regnum istud superiori seculo eam in magnitudinem ac potentiam erectum sit, ut omnibus aliis populis formidinem incusserit, eosque ad infringendas has vires concitarit: hodie contra hæc adeo attrita sint, ut pleræque gentes contrariis studiis nitantur, ne alienæ potentia profus succumbat. In cujus rei dum inquirat causas, varia, quæ ad statum istius regni pertinent, profert in medium, Regesque, qui olim id tenuerunt, & quibus hodie illud paret, potentiam item atque alia, quæ huic spectant, exponit: majorique cura isthoc regnum, quam reliquos Orbis terrarum Status describit.

TRAITE DU DROIT DE CHASSE.

a Paris. 12.

Tractatus de jure venandi. Parisiis 1681.

Autor hujus libelli *F. de Launay* Professor Juris Gallicani, ut specimen artis ederet, quam facere novo exemplo a Rege jussus est, hanc juris Gallicani partem, quæ circa feras occupatur, explicandam sibi sumsit. Ergo quid olim legibus Salicis, & ab ipsis Merovingorum temporibus usque hæc de re sancitum sit, quodque jam tum capitale crimen admiserit, qui hoc majestatis jus involarit, docet: ejus æquitatem ostendit: qua ratione Rex istud subditis communicarit, & utrum vi jurisdictionis competat, tradit; ad singularia vero juris hujus capita neutiquam descendit, ut ex eo, quid hodie apud Gallos obtineat, cognoscere possimus.

PHOCÆNA,

*Or the Anatomy of a Porpeß, dissected at
Gresham Colledge.*

i. c.

Anatome Phocæna, dissecta in Collegio Greshamensi.

Londini in 4. 1680.

B

Ante-

Anrequam autor libri *Edwardus Tyson* hujus Aquatilis, quod alias *Tursionem*, germ. *Meerschwein* vocant, descriptionem anatomicam aggreditur; Anatomicum in genere, hinc comparativam, commendat, simulque qua methodo naturalis animalium historia erui & formari debeat, docet. Inde Dissectionem Phocænz, methodo commendatæ conformem exhibet, animalis, quod faciemus & forma externa pisci per pleraque simile est, (nisi pinnas anteriores excipias, quæ integumentis externis detractis, brachia humana satis accurate representant) quoad partium vero internarum structuram quadrupes potius dicendum foret, imo, secus ac reliqui pisces, sanguine fervente gaudet. Mox enim sub cute per universum corpus, simili modo, ac in porco (unde germanica nomenclatura ipsi contigit) expansam observavit pinguedinem, Panniculum Carnosum crassiorum, Musculos valde sanguineos, ac Omentum notabile, utut hujus contrarium *Bartholinus cent. 2. hist. 25. & J. D. Major, anno III. Miscell. Acad. Nat. Cur. observ. 20. p. 25. & apud Blasium in anat. animal. part. 3. c. 16. p. 286. seqq.* asseruerint. Huic 10 aut 12 circiter Glandulas intertextas Lienis officio fungi, contra eundem *Majorem* docet. Ventriculum triplicem, Intestina Cæco & Colo destituta, Mesenterium cum Pancreate Afellii, hincque ad Receptaculum lumbare derivata Lactea Vasa testatur. Epar sine folliculo Fellis, ut in homine, integrum, minime juxta *Ray in Transact. Philos. Angl. No. 76*, in lobos divisum, ac Renes ex plurimis Glandulis, communi cuidam tunicæ inclusis, coagmentatos ait. Glandulis vero renalibus, Vesica urinaria, Vasis umbilicalibus, Organis genitalibus, & quidem dissectum subjectum foemineis, Diaphragmate reliquisq; Thoracis membris quadrupedes quam exactissime pariter imitari docet: nisi quod in eodem pectore corpus, glanduloso simile Vasisque sanguiferis intertextum, lateribus Spinæ adhærescat, quale quid in nullo alio animalium genere deprehendatur, quod totum etiam Medullæ Spinalis tractum operiat; cujus tamen partis usum sibi satis obscurum fatetur. Ratione dentium, quorum 96 numerat, *Forstonum* erroris accusat, dum in *Hist. natural. pisc.* illos obtusos & molaribus similes asserit, qui tamen acuti magis sint: ac quoad Cæcis Hyoidis conformationem itidem *Majorem* stringit. Cum aliis piscibus cetaceis commune in hoc vidit spiraculum aut fistulam, loco narium ipsi in inspiratione inservientem, simul tamen

viam quoque concedentem pro aqua, quæ uberius cum præda assumpta est, nec deglutienda tamen, denuo expellenda. Porro quamvis *Rondeletius* omnibus piscium generibus Palpebras denegarit, illis tamen Phocæna non caret, in quarum superiore Ductus Lachrymales Stenonis cum glandula ejus innominata observavit noster Anatomicus, ut & in oculis præter Musculos sex humanos septimum seu suspensorium brutis proprium. Cerebrum hujus, aliorum piscium atque quadrupedum cerebra mole longe superare, destitui tamen Nervis Olfactoriis & Processibus Mammillaribus, (licet *Rondeletius* olfactum Delphinis concedat) perhibet. Contra, licet *Ray* in hoc nates & testes non deprehenderit, vidit tamen Noster, & Testes quidem Natibus majores. Pariter, ut ut *Aristoteles* & *Plinius* Aures, ipsaque autopfia auricularum apparatus ipsi denegat, Meatus tamen Auditorii singularem structuram internam prolixè describit. Tandem Osteologiam annectit, in qua Spinæ Vertebras *Major* 54 tantum, *Tyson* 60, ac 13 cujuslibet lateris Costas numerat, & Ossium Pinnarum anteriorum cum brachio & manu humana analogiam evincit. Cuncta vero membra in tabulis duabus delineata addit.

GERH. BLASII AMSTELODAMENSIS

Anatome Animalium, figuris variis illustrata.

In 4to, Amstelod. 1681.

Quam *Tyson* in Phocæna Anatome animalium diversorum commendabat Anatomem comparativam, quamque non unius hominis, sed plurium ingeniorum atque manuum opus esse, ipsi libentissime concedimus, hujus Specimen illustre, ex propriis partim, partim aliorum, & quidem Veterum æque ac Neotericorum observatis, cum figuris pluribus, edidit *Blasius*, cujus famam alias diversa Scripta Medica atque Anatomica notissimam reddiderunt.

Dividit hoc opus in partes 5. quarum prima varias illorum brutorum, quæ terrestria audiunt, species exhibet, una cum sciagraphia nutritionis animalium ex *Theodori Aldes* (alias *Matth. Sladi*) tractatulo, superioribus annis edito. Altera pars plurium Volatilium dissectiones suggerit, cum ovi & pulli, hujusque generationis historia, ex *Aquapendente*, *Harveo* &c. congesta. Tertia vero Aquatiliū; Quarta Insectorum; ac Quinta Serpentis anatomem continet.

VITÆ SELECTORUM ALIQVOT VIRORUM,
qui doctrina, dignitate aut pietate inclaruere.

Londini in 4to. 1681.

Guilielmus Bateſius, utili ſane inſtituto, vitas præſtantium aliquot virorum, a diverſis auctoribus, partim orationibus, partim narratione brevi & epiftolis deſcriptas collegit; atque illas uno volumine Londini nuper evulgavit. Quas ſi dignitatem virorum reſpicimus, in tres claſſes commode diſpeſcere poſſumus.

Ad primam pertinent Principes ac viri nobiles. Quo ſpectant *Henrici Walliæ Principis* Laudatio funebris, per Franc. Neatherſole Academ. Cantabr. Oratorem. p. 401. *Ulderici Daniæ Regis filii* laudatio funebris per Opitium p. 432. *Frederici Henrici Arauſionenſium Principis* laudatio funebris per Fridericum Spanhemium. p. 493. *Joh. Pici Mirandulæ & Concordiæ Principis* vita per Johannem Franciſcum filium Princepem Mirandulæ p. 90. In obitum *Thomæ Bodleji* Equitis, celeberrimæ apud Oxoniensibus bibliothecæ fundatoris, Oratio funebris, a Johanne Haleſio habita p. 416. Commentarius de rebus pace belloque geſtis Domini *Fabiani Senioris Burggraviæ a Dona* per Gerhardum Voſſium p. 446.

Ad Secundam claſſem referimus viros Eccleſiaſtica dignitate conſpicuos. Huc ſpectant *Henrici Chichele* Archiep. Cantuarienſis vita, per Arthurum Duck p. 1. *Gul. Waynſeti*, Epifcopi Wintonienſis & Angliæ Cancellarii, per Gul. Buddenum p. 49. *Petri Bembi* Cardinalis vita, per Joannem Caſam p. 140. Vita *Gaſp. Contareni* Cardinalis, per eundem Caſam pag. 154. Vita *Hieronimi Savanarola*, per Joh. Picum Mirandulæ principem p. 107. De obitu *Martini Buceri* Epiftole duæ Johannis Checi, & Nicolai Carri p. 250. Vita *Bernardi Gilpini* per Georgium Carletonum Epifcopum Ciſtrenſem p. 282. & vita *Jacobi Uſſerii* Armachani Archi- Epifcopi cum catalogo operum ab eo editorum. p. 734.

Ad tertiam claſſem ſpectant viri ob rem literariam maxime celebres. Quo pertinent vita *Deſiderii Eraſmi* per Rhenanum deſcripta, cum indice lucubrationum ab ipſo editarum. pag. 187. *Gvil. Budei* per Lud. Rhegium p. 215. *Chriſtoph. Longolii*. p. 240. *Vincentii Pinelli*, per Gualdum p. 314. *Scævola Sarumartiani* per Gabrielem Michaëlium

Rupi-

Rupimalletum p. 379. *Jul. Casaris Scaligeri* vita & scripta, p. 404. *Dan. Heinſii* Epistola de morte *Josephi Scaligeri* ad IS. *Causaubonum* p. 417. *H. Grotii* vita & scripta, p. 420. *Petri Pithæi* vita p. 435. Panegyricus *Jano Grutero* scriptus a *Balthasare Venatore* cum catalogo Scriptorum, p. 526. *Julii Casaris Lagalle Medici & Philosophi* vita per *Leonem Allatium* p. 575. *Gvilielmi Cambdeni* per *Degorum Wheare* pag. 589. vita *Antonii Walei* p. 600. *Petri Puteani* per *Nicol. Rigaltium* p. 660. *Dionysii Petavii* vita per *Heinr. Valesium* p. 678. *Jacobi Sirmondi* per *Heinric. Valesium* vita, cum indiculo scriptorum editorum, p. 87. *Petri Molinæi* vitap. 697. *Heinrici Valesii* per *Hadrïanum Valesium* pag. 729.

Inter has vitas præ cæteris lectu dignæ videntur, *Hieronymi Savanarolæ*, *Joh. Pici Mirandulæ*, *P. Bembi*, *Desiderii Erasmi*, *Jul. Cæf. Scaligeri*, & *H. Grotii*, qui nostro ævo inter eruditos principatum tenuit.

AMMIANI MARCELLINI

rerum gestarum, qui de XXXI supersunt, libri XVIII.

Ope MSS. codicum emendati ab *HENRICO VALESIO*, & auctioribus adnotationibus illustrati.

Nec non *Excerpta vetera de gestis Constantini & Regum Italia.* Editio posterior, In fol. Parisiis 1681.

DE *Ammiano Marcellino*, notissimo Romanarum rerum ab exortu *Nervæ* ad *Valentis Augusti* mortem Scriptore, ac post primam editionem, quæ Romæ, ubi & opus ipsum compositum olim a *Marcellino* fuerat, *A. Sabini* Poætæ laureati opera A. 1474 prodiit, plus tredecies typis descripto, non attinet dicere. Tantum quæ novæ hujus, nitidissimæque editionis fuerit occasio, quidque in eâ diligentissimus curator *Hadrïanus Valesius* præstiterit, monendum erit paucis.

Ediderat anno 1636 Parisiis *Marcellinum Henricus Valesius*, vir de literis egregie meritus, ex manuscriptorum codicum fide doctisque coniecturis, quantum fieri potuit, emendatissimum, notisque illustratum perquam eruditiss. Ex quo tempore & familiaris magis reddi

hic Auctor eruditus cepit, a cujus lectione antea quamplurimos tot in eo lacunæ ac menda absterruerant: & editio præcipue illa *Valesianæ*, distractis brevi tempore exemplaribus, summo apud doctos omnes in pretio fuit. Quo factum, ut iterari editionem, & ex *Henrici Valesii*, qui primæ editioni quadraginta annis superfuit, eoque temporis intervallo *Marcellino* suo curatius emendando aut illustrando non poterat non subinde admovere manum, schedis perpoliri, unum omnium votum esset ac desiderium. Itaque frater *Henrici Hadrianus Valesius*, Historiographus *Regius*, tum ut novis in rem literariam meritis partum jamdudum auget decus, tum quod dandum id fratris memoriæ putaret, ac inprimis Illustrissimi *Colberti* hortatu, novæ tandem editionis curam suscepit, ac in ea sic versatus est, ut expectationi publicæ non responderit tantum, sed supergressus etiam docti orbis vota videri possit. Nam ex *Colbertino* inprimis codice textum *Marcellini* sæpiuscule & emendavit ipse, & fratris veteribus posthumisque observationibus suas non minus eruditas inspersit passim, & *Friderici* denique *Lindenbrogii* notas ex schedis ejus uberiores exhibuit.

Præmittitur Operi universo *Hadriani Valesii* præfatio, qua rationem primum instituti sui reddit, totiusque operis œconomiam exhibet: tum de *Ammiani* vita scribendiq; genere, & libris, qui perire partim, partim supersunt, erudite disserit: inde locorum quorundam *Ammiani* ex codice *Colbertino* emendationes, in notis ipsis ob *Typographorum* festinationem omittas inserit: denique *Lindenbrogii* errores nonnullos, quos in istius observationibus notaverat, perstringit. Sequitur vetus præfatio *Henrici Valesii*, eamque vita *Ammiani Marcellini* a *Claudio Chiffletio* composita. Ipsi textui notæ utriusque *Valesii* ita subjiciuntur, ut quæ nude expressæ sunt, veteres *Henrici Valesii*; quæ duobus asteriscis inclusæ, *Henrici Valesii* novæ ac posthumæ; quæ denique duobus uncinis inclusæ sunt, *Hadriani Valesii* esse primo conspectu intelligantur. *Ammiano* subjunguntur *Excerpta* veterem Auctoris ignoti de *Constantio Chlora* aliisque nonnullis Imperatoribus, nec non ex libris *Chronicorum* de *Odoacre* & *Theodorico* Regibus *Italiae* nonnulla; cum *Hadriani Valesii* *Dissertatione* de *Hebdomo*, & indice rerum accurato. Sub calcem operis *Frid. Lindenbrogii* notæ ad *Marcellinum* auctiores separatim exhibentur. *Marcelli Donati* Dilucidationes in *Marcellinum*, quas tomò VI *Theauri Critici Janus Gruterus* inseruit, indignæ

dignæ *Hadriano Valesio* visæ sunt, quas Editioni suæ, quam omnibus numeris voluit absolutam, jungeret. Nec tulisset forte pretium operæ. Ast de ipsius *Gruteri* in *Marcellinum* Observationibus, quas *Corpor. Scriptorum Historia Augusta* Anno 1611 editorum inseruit, an non ex dignitate novæ huic editioni jungi potuissent, cogitandum aliis relinquimus. Etsi visas eas *Hadriano Valesio* non fuisse, haud obscure ex ea Præfationis parte conjicias, qua *Ammianum* ope veteris codicis emendatum, sed nudum a notis & Observationibus publicatum a *Grutero* commemorat.

DE VERA ANTIQVORUM HERBA

Britannica, ejusdemque efficacia contra Stomacacem seu Scelotyrbem.

Autore

ABRAHAMO MUNTINGIO,

Groning. Frisio, D. & Botan. Prof. Publ. Groning.

Amstelod. 4to 1681.

Industrius hic & curiosus Botanicus, cujus jam nomen, de Plantarum Cultura edito scripto, Belgico Idiomate, anno 1672, *Ti. waare Oefening der Planten*, inclaruit, præsentî hoc Tractatu *Britannicam* herbam, ceu veteribus cognitissimam, neotericis vero penitus ignotam, ex oblivionis tenebris, in lucem denuo protrahere satagit; cui *Aloedarium*, sive specierum *Aloes* historiam botanicam in fine adjungit. *Britannica* ergo planta *Frisiis* olim, & vicinis regionibus, endemico scorbuti malo graviter afflictis, optima medicina extitit, adeoque & Romanis, quorum exercitus sub primis Imperatoribus, in istis regionibus ex aquarum insalubritate dicto morbo graviter laborare cœpit, demonstrata, & explorato ejus auxilio, decantatissima tunc temporis, & postea pariter ab omnibus (ut ante ab ipso mundi exortu) scorbuto afflictis ultra 8. annorum centurias frequentissime usurpata fuit. Quum vero anno Christi 757, 80, & sequentibus, *Gothi* & *Normanni* in *Frisiam* irruissent, libertate gentis oppressa, extinctisque quibusvis disciplinis, oblivioni quoque planta hæc tradita fuit. Autor itaque 1. *Veterum Britannicam veram* denuo demonstrat. 2. alias pro *Britannica* habitas plantas expun-

expungit. 3. Britannicæ veræ faciem, vires & usus edocet. Primum quod attinet, postquam ex *Dioscoride* lib. 4. cap. 2. *Plinio* lib. 25. cap. 3. *Galeno* l. 6. simpl. cap. 98. & cæteris Græcis, quin & Arabibus ostendisset, ab omnibus *Lapatho*, quod latinis *Rumex* audit, & quidem silvestri, foliis nigrioribus & longioribus, similem Britannicam statui, universam *Lapathi* sive *Rumicis* genealogiam tradit, & 27 ejusdem differentias, adjunctis in fine singularum descriptionibus & iconibus æri ineisis, recenset, & has inter *Lapa-*

TAB. I. *ibum silvestre longifolium, nigrum, palustre sive Hydrolapathum nigrum*, cujus figuram tabula nostra prima exhibet, veram Veterum Britannicam esse determinat. Huic male substitutas plantas alias, in specie *Bistortam*, *Heptaphyllon*, *Tormentillam*, *Primulam veris*, *Betonicam*, *Cochleariam*, *Beccabungam aquaticam*, *Veronicam*, *Bugulam*, *Plantaginem aquaticam*, & alias plures rejicit. Pressius postmodum Britannicam explicare aggreditur, & postquam occasione loci, in quo frequentius propullulat, plura de terris veneis, morinis, cespitibus & torfis exposuisset, ipsius Britannicæ descriptionem, p. III. & prolixiorem explicationem pag. 113. & seq. subjungit. Etymionem in primis explicat, ostendens nomen esse absolute *Frisicum*, compositum ex *Brit*, quod consolidare, firmare, *Tan*, quod dentem, & *ica* sive *bica*, quod ejectionem significat: Ab effectu ergo a *Frisiis* vocatam fuisse britannicam, herbam nimirum, solidarum partium, præsertim dentium, contabescentiam, aut ejectionem consolidantem, ceu symptomata scorbuto familiarissima. Pro quorum confirmatione plura sequuntur experimenta, quantum in cura scorbuti ejusque symptomatum, hujus herbæ beneficio autor præstitit. Progreditur hinc ad qualitates plantæ, & ratione (sic dictarum) primarum, eam frigidam & siccam esse; ratione secundarum, adstringere, conglutinare; ratione tertiarum, nervorum malis, hinc venenis mederi, adeoque alexipharmacum esse; ratione virtutis specificæ, scorbuto efficacissime occurrere asserit. Usurpandi denique & cum aliis miscendi rationem, & multiplicem internum ac externum usum declarat. Interne speciatim decoctum ejus, tam compositum, quam principaliter simplex, ceu præ alijs efficax & probatum propinat, quod posterius, non scorbuticis saltem malis, sed præterea hæmorrhoidibus, hydropi, anginæ, dysentericæ, diarrhœæ,

p102

pleuritidi mederi, exemplis ostendit: monendo simul, decoctum rad. britannicæ c. duplic. tormentillæ in sero lactis, cruentum mixtum pecorum curare. Addit poriones quasdam britannicæ universales vulnerarias, item contra casum ac vitia dentium Icorbutica, dentifricium non inelegans. Sequuntur Electuaria, item triplicia extracta, & denique spiritus abstractitii, ex planta ac feminibus concinnati. Agmen claudunt Emplastra & Unguenta, ex Britannica cum aliis pro vario usu externo composita. Ex quibus omnibus tandem concludit, Britannicam eam Frisiorum non solum, sed etiam Belgarum, jure meritissimo vocari posse Panaceam.

In Aloedario, *Aloes mucronato folio Americana majoris*, aliarumque ejus specierum Historiam recenset, & iconibus illustrat, occasione modo dictæ aloes, in Viridario Autoris, inusitato, verèque stupendo more floresentis, nec a quopiam, præter *Tobiam Aldinum* in Horto Farnesiano, descriptæ; protrusit autem intra triennium 18 caules, floribus onustos, modo plane inaudito, quibus omnibus deperditis ipsa adhuc virescat, annum agens 42. Subjungit culturam, & ejus usum tam medicum, quam diætericum ac mechanicum, apud Americanos multiplicem. Dum porro persequitur cæteras aloes species, etiam aloen veram vulgarem, ac in specie majorem, *Asiaticam* scil. quibusdam sempervivum marinum dictam, & cujus succus universæ Europæ adeo usitatus existit, describit, idque eo exactius, quod in Viridario suo eandem aluerit, (in quo tres flores protrusit,) & quod exacta ejus historia a nemine hactenus feliciter satis tradita. Florum præsertim rationem habet, qui colore luteo & gilvo intermixto conspicui sint, odore nullo. Denique concertum succum parandi modum annectit, quem speciatim ex *Garcia ab Horto* recenset.

RELATION NOUVELLE D' UN VOYAGE

de Constantinople. i. e.

Itinerarium novum Constantinopolitanum, in 12.
juxta exemplar Parisiense A. 1681.

Auctor libelli hujus *Grelotus* tamen fatetur, nec primum se Orientem peragrasse, nec primum Constantinopoleos descriptionem fuisse aggressum: reliquorum tamen omnium, quos idem labor

exer-



exercuit, industriam in delineando quam exactissime locorum situ, & ichnographica ædificiorum publicorum designatione, visus sibi est superasse. Utique decore æri incisas esse quas exhibet tabulas, inspicienti manifestum est: respondere vero eas examumissim operibus ipsis, exprimenda quæ suscepit, celebrium aliquot virorum, *Marchantii, Blondelli, Bernerii, Covelli, Galandi*, qui & ipsi per orientem peregrinationes olim fecere, testimoniis præfationi subjectis confirmat. Nec dissidendum, *S. Sophiæ* imprimis templum, Christianorum olim sacris celeberrimum, nunc Mahumedana impietate foedatum, cujus aliquin aditu Christianos omnes prohiberi constat, & lustratum fuisse a *Greloto* ipso diligenti anxioque studio, & operose descriptum. Et si non minorem in designando hoc ipso templo industriam, habita tamen Antiquitatum præcipua ratione, illustris Scriptor *Carolus de Fresne*, tum in *Commentariis ad Paulum Silentiarium* cum *Cinnamo* A. 1670 editis, tum in *Constantinopoli Christiana* A. 1680 cum egregio *de Familiis Byzantinis* opere publicata, adhibuit.

Auspiciatur vero *Grelotus* Itinerarium suum ab *Helleponto*, paucaque de *Promontorio Sigæo*, ruinis *Trojæ*, & celebratis tantopere apud veteres, etsi exilibus admodum fluviis *Xanto* & *Simoente* præfatus, latius disserit de duobus novis castellis (*Natoli-inghi-issar* Turcæ vocant, quod in Asia situm est, quod in adverso Europæ littore *Roumeli-inghi-issar*) quæ *Mahumedes IV* modernus Turcarum Imperator, ut aditus *Helleponti*, in quo non semel classem Turcicam oppresserant Veneti, communiret, exstrui curavit; monetque non insuperabilia tamen ea esse, aut formidanda magnopere Christianis, ex ea parte Turcicum forte Imperium oppugnaturis.

Exin *Castella* duo vetera describit (*Dardanelles* nostri appellant, Turcæ *Boghase-issari*;) quorum item alterum in Asiatico, alterum in Europæo littore, eo loco, ubi quam maxime *Hellepontus* constringitur, situm est, quæque adeo pro claustris *Propontidis* habentur, credunturque vulgo ex ruinis *Sesti* & *Abydi* veterum surrexisse: atque sic sensim in *Propontidem* delatus recenset haud perfunctorie, tum urbes in utroque maris illius littore sitas, tum insulas de *Marmara*, quæ *Proponidi* ipsi nomen *Maris de Marmara* apud recentiores pepererunt; nec non quas nostri *Principum*, Turcæ *Papas-adasi* vocant.

Tum ad urbem *Constantinopolitanam* progressus, ubi de situ ejus, originè,

gine, ac nominibus, de arce item, quam *septem turrium* dicunt, de *turri Belisarii*, *columna Arcadii*, ac palatii, quod *Serraglio* Itala dictione appellant, *porta* (nam interiora ejus, velut sibi non perlufrata, ex *Tavernerii* Relatione peti ipse cupit) quædam commemorasset, *Templum S. Sophiae* curatissime describit, vel hoc labore solo, quo conciliare præcipuum libello suo pretium ac decus voluit, applausum Lectoris promeritus. Qua occasione & de *Græcorum* ceremoniis Ecclesiasticis, tam quæ olim, cum *S. Sophiae* templum adhuc in manibus habuerunt, recepta fuerunt, quam quæ hodiernum obtinent: & de *Turcarum* religione ejusque præcipuis capitibus, & externo cultu differit. Inde & *Turcica* *Templa* tria, quorum primum ab *Achmete*, alteram a *Solimanno*, tertium ab Imperatoris moderni matre conditum est, describit; finemque libello relatione de summo *Turcarum* tribunali, aliisque eorum institutis imponit.

JOHANNIS ADAMI SCHERZERI

Ingenui Præfulatus Misnensis ac R. Capituli S. Petri

Budiff. resp. Præpositi ac Senioris,

Theologi apud Lipsienses Primarii

ANTIBELLARMINUS

sive

In IV Tomos Controversiarum Roberti Bellarmini

DISPUTATIONES ACADEMICÆ.

Lipsiæ, sumptibus Jo. Fuhrmanni ac Viduæ Matth. Ritteri,

in 4to. 1681.

Cum Cardinalis *Bellarminus* sit celeberrimæ famæ Scriptor, & maximæ inter Romano-Catholicos autoritatis, cujus Opus Controversiarum IV Tomis comprehensum hi adeo venerantur, ut nullum adversus hæreses præsentius antidotum isto scripto inveniri, nihilque præter apinas tricasque contra hoc ab ullo dici vel scribi posse pronunciant: causas sane gravissimas habuit Autor, cur *Dissertationes Academicas* adversus illos scripturus, hujus Cardinalis, præ cæteris Polemicis, Scripta, ceu Religionis Romano-Catholicæ murum

& antemurale sibi oppugnanda deligeret. Accedebat nec inelegans *Bellarmini*, nec incommoda methodus, qua tantum non omnibus suæ partis Scriptoribus in hoc genere palmam præripuit, sane dubiam reddidit. Huic vero Cardinali, ex quo tanquam Equo Trojano plerique Controversiarum Scriptores hæcenus prodierunt, fundamenti loco subinde Noster adjungere non intermisit *Concilium Tridentinum*, cujus vocem Ecclesiæ Catholicæ vocem omnes salutare, & ut Magistram, in omnibus, Romano-Catholicos sequi, experientia quotidiana confirmat. Idem, ubi ad Thesin ipsorum vel constituendam, vel explicandam opus erat, alia nobiliorum Autorum nomina ac testimonia in subsidium advocavit. Ex universis autem, per singulas Dissertationes, quarum sunt numero sedecim, *Præcipua* quæ Scripturæ auctoritatem præ se ferre, aut aliquid præ reliquis in recessu habere videbantur *αὐτῶν ἰσχυρὰ*, accurato studio selegit, inque gratiam Studioforum Theologiæ (qui in præsentem Libellum alibi occurrentes aliorum objectiones, pro quotidianis Studiorum incrementis facili negotio annotare poterunt) post statum Controversiæ per Thesin & Antithesin, ac utriusque Ecthesin, rite formatum, sine ambage aut circuitione tædiosa, brevi, ac rotunda non minus atque erudita excipiendi probandique ratione solvere instituit. In fine Libri adjecti sunt octo varia utilitate se commendantes indices.

OBSERVATIONES QUÆDAM ANATOMICÆ,
Structuram Vasorum Biliariorum, & Motum Bilis
spectantes.

Folliculi fellis cervicem propagines notabiles, præter illam, cujus *Glissonius*, *Collegium Amstelodamense*, & *Blasius* mentionem faciunt, ad substantiam epatis spargere, seu potius inde recipere, imo harum quasdam cum ductu epatico communicare, persuadent mihi sequentia.

I. In Epate bubulo flatum, per ductum cysticum, ad turgescen-
 tiam usque vesiculæ, immisum & epatis cavam partem diversis tra-
 ctibus transeuntem, per porum epaticum redire, aliquoties observavi.
 Bis vel ter equidem eundem nominati experimenti successum expe-
 ctavi frustra, in talibus sc. subjectis, quorum epas calculis atque tarta-

rea materia refertur: in aliis tamen postmodum felicior, & idem cum pristino eventus expectationi meae respondebat; quibus nempe epatis constitutio naturalis magis contigerat.

2. Ex vitulini epatis cysti fellea omnem emulsi bilem, ligavi hujus ductum, ubi poro epatico inosculatur, ut per illius orificium nihil liquoris vesiculam subintrare posse, certus essem: hinc epatico, ope siphonis, aquam tepidam immisi, cujus tandem aliqua portio ad folliculum flaccidum divertebatur, hunc notabiliter distendebat, ac per vulnus ipsi inflictum effluebat.

3. Aperto hominis, canis, & bovis ductu cystico, illa in parte, quae epati continuus est, plura deprehendi foramina (ab Amstelodamensibus & Blasio in bove saltem notata) tanquam totidem vasorum biliarium oscula; ita quidem, ut hujus generis aliquando in cane tria, in humano cadavere quinque, in epate bovino plura, v. g. duodecim, interdum pauciora, v. g. octo, ut in figura annexa, & nuperrime quinque tantum comparuerint. Tractus eorum, modo longiores, modo breviores, oblique satis meatus cystici tunicas ut plurimum penetrant, in cane & homine styllum equidem admittentes, hincque vasorum peculiarium emanationem aut insertionem promittentes: quorum tamen ulteriorem progressum, propter exilitatem molestissimam, nec detegere haecenus, nec investigare licuit. Ast in subjecto quodam bubulo, quod commodioris magnitudinis causa eligebam, praeter reliquos folliculi canalis meatus, ad epatis interiora decurrentes, duo patentiorum orificiorum vasa, ex lateribus illius oppositis prodeuntia. epatisque substantiae saltem leviter immersa, ad sinum ductus epatici sic tendebant, ut flatui & stylo, a cervice, folliculi usque ad porum epaticum, aditum liberrimum concederent. In epate alio, pariter bovino, unus saltem horum ductuum se manifestabat, cujus orificio ceram liquefactam injiciebam: quae per sinum pori epatici rediens insertionem ductus, cystico atque epatico communis ac intermediarii, aperte ostendebat. Imo leviter tantum excarnato epate, totum illius tractum & ramificationem, cum propagine notabili epaticum ad ductum tendente, conspiciendam exhibebat, prout fig. etiã declarat. An communicatio haec canalium biliarium ordinaria ac universalis sit, dubium equidem ideo videri posset, quod, prout superius conquirebar, illam interdum plane non, semel duntaxat duplicem, fre-

quentius simplicem deprehenderim: quia nihilominus semper, eadaveribus modo eparinduratum exhibentibus exceptis, aliquid ejus observavi, a conformatione illam naturali dependere, probabiliter satis infero; quamvis eam alias majorem, alias minorem, modo simplicem, modomultiplicem esse, & epatis substantiam nunc profundius, nunc superficialiter tantum, jam pluribus, jam paucioribus propaginibus subire lubens concedam.

In ductu Glissoniano ad folliculi cervicem annotavi, structuram hujus atque insertionem non semper eandem esse. Cum aliquando ipsius orificio binos similes ductus adjacentes, stylumque ab intra recipientes, viderim; rarius in fundi extremitate, ut plurimum in cystici canalis principio illius insertionem deprehenderim; imo aliquoties ne vestigium ejus observare potuerim. Quod posterius quidem etsi hactenus oculorum meorum caligini existimavi tribuendum; nuperimum tamen subjectum bubulum me docuit, lusum potius naturæ etiam in hujus canalis ramificatione atque insertionem interdum contingere posse. Quamvis enim omnibus in hoc evolvendo usus fuerim enchiridis necessariis, minime tamen vel hujus osculum in solennioribus ipsi locis, vel ejus radices ex epate progerminantes, conspiciere mihi licuit: donec tandem in ipsius ductus cystici latere hiatus manifestissimus apparuit, per quem impulsæ cera, adhibita levi excarnatione, canalem, digitum fere sua longitudine, crassitie vero calammum scriptorium mediocri magnitudinis æquantem, diversisque ramulis instructum exhibebat; quem ipsum non sine omni ratione Glissoniano ductui succenturiari auguror.

Quid hæc pro officina, & motu bilis, satis alias ambiguis, determinandis facere possint, aliis, pluribus forsân experimentis instructis, judicandum nunc relinquo: ab epate tamen omnem forsân bilem, folliculo fellis non tantum per canales superius recensitos, sed epaticum quoque porum, infundi, observatio sequens testatur. Scilicet canis vivi, presentibus pluribus spectatoribus, dilaceravi vesiculam usque ad cervicem, tentaturus, an aliquid bilis per hanc versus fundum laceratum deflueret. Respondebat expectationi eventus, i. e. non tantum bilis, quasi turgescencia quadam, ex angustiore ductu cystico per latioremcervicem copiosissime eructabatur, sed idem cysticus, post injectum
ipsi

Fig. 1

TAB. II.
ad A. 1682. pag. 23.




Fig. 2

ipſi vinculum, notabiliter ſic intumeſcebat, ut nihil, aut parum ſaltem bilis per dictam cervicem amplius promanaret.

Explicatio Fig. 1. & 2. Tab. II.

- AA. Epatis ſubſtantia. TAB. II.
 BBB. Epatis excarnati portio.
 CC. Ductus Epaticus.
 D. Ductus cholodochus ſeu intestinalis apertus.
 EE. Ductus cyſticus apertus cum Veſicula fellis aperta.
 * Orificium ductus cyſtici & epatici intermedii.
 G. Ejusdem ductus cum poro epatico communicatio.
 HH. Ductus intermedius cum ramis, per epatis ſubſtantiam diſperſis.
 K. Hujus ramus cum epatico communicans.
 a. Ductus Gliffoniani insertio.
 I. Ductus Gliffonii canalis amulus.
 b. Hujus orificium.

DUPLATIO TRIANGULI

ISOGONI,

*Et reliquarum figurarum rectilinearum,**nova ratione oſtenſa.*

Propoſuerat menſe Septembri Anno 1679. *P. Sigismundus Hartmann*, e Soc. Jeſu olim Matheſeos Profeſſor, Pragæ Problema, de *Duplacione Trianguli Iſogoni, citra adjumentum proportionum* ſolvendum: invitatis ad hanc rem peculiari ſcheda Geometris. Horum ſolutiones, ſi forte aliqua ante Solſtitium æſtivum anni 1680. ad ſe deventura eſſent, ſua, quam publico tum dare deſtinaverat, non ſine debito præconio juncturus erat. Cæterum invitatio dicta non ante multas hebdomadas demum, manu amici deſcripta, Lipſiam perlata eſt: incertis utique, utrum ſolutio a *Dn. Patre Hartmanno* promiſſa, quod temporis interea lapſi interſtitium arguebat, lucem adſpexiſſet. Unde, cum *Illuſtri* cuidam *Viro*, profundiffimæ in Mathematicis ſcientiæ, ſua indagine Problema non indignum, nec Marte ſuo elaborata ſolutio, ſi forte propoſitum *Dn. Hartmanni* interjectæ moræ hæcenus

cardassent, ingrata eidem futura, ex humanissima provocatione, videretur: quis eventus aut fatum solutionis Hartmannianæ fuisset, percontandum nobis rati sumus. Inter utrumque autem ambiguus, literæ Pragenfes, & fato functum *P. Hartmannum*, & dicto Problemati, monumentisque ejus aliis, publico beno concinnandis, occupari *R. P. Koppilium* paucis abhinc diebus nunciavere. Non dubiis ergo, re adhuc in integro, pari animo futurum successorem, ac *P. Hartmannus*, erga conatus circa hoc Problema susceptos, affectum se professus est, *Illustris Vir* ingeniosa sua, sub manu tamen nata mathemata, ut publico impertiremus, non gravate indulfit. In iis vero 1. *Duplatio Trianguli Isogoni N. I & III*; 2. *Equalitas inter Triangulum Isogonum, super hypobenusæ, & duo similia super crura recti anguli in Scaleno constituta, N. II & IV*; 3. 47 Imi Eucl. *methodo ab Euclide, Clavio, Gregorio a S. Vincentio diversa, eaque, quod Peletarius olim fieri posse negaverat, sine proportionibus, N. V*; 4. *Universalis denique ratio figuras rectilineas quascunque duplandi ex fig. tertia, N. V* proponitur. Annexuit *Illustris Autor* duo insignia theorematum, de *potentiis laterum*, sive linearum, *Pyramidis rectangulæ, ad verticem coeuntium, junctim potentie Diametri Sphære circumscriptæ equalibus, & inventionem duarum mediarum proportionalium beneficio Sphære*: quæ quin suscitatura sint ad demonstrationem sui solertia Mathematicorum ingenia, nihil dubitamus,

N. I.

TAB. III.






DUPLATIO TRIANGULI ISOGONI.

Super Trianguli rectanguli (Fig. I) ABC Isoscelis, crure uno AC constructum Triangulum Isogonum (s. æquilaterum) ACQ sit duplandum.

Constitutis super AB & BC Triangulis Isogonis ABO, BCP: dico Triangulum ABO, Triangulis BCP, & ACQ æquari, & hujus posterioris duplum esse.

Ductis enim lineis AP, BQ, CO, & perpendicularibus, OI, PH, QG; item AH, BG, CI; & tandem constituta KL æquali ipsi KC, factoque triangulo KLN, simili & æquali ipsi EKC; & KLM, ipsi CKD: Anguli BAO & QAC Triangulorum Isogonorum sunt æquales, ut & communi BAC addito, anguli CAO & BAQ; lateribus autem AC,

TAB. III. ad Fibros p. 24.



AC, AQ, item AO, AB, circa æquales angulos æqualibus, Triangula CAO, BAQ similia sunt & æqualia.

Eadem ratione Triangula OBC, ABP, tum inter se, tum, ob æqualitatem laterum AC, BC, Triangulis CAO & BAQ sunt æqualia.

Demto jam Triangulis BAQ, CAO, in K mutuo sectis, communi Trapezio AEKF; reliqua Triangula QAE & FKB junctim æqualia sunt Triangulis AFO & EKC: & demto rursus utrinque EKC, i.e. KLN, reliquum Trapezium BNLF, additum Triangulo QAE, æquale erit Triangulo AFO.

Pari ratione ostenditur, Trapezium AMLF, junctum Triangulo BDP, æquale esse Triangulo BFO.

Unde Triangula QAE & BDP, juncta Trapeziis BNLF & AMLF, æqualia erunt toti Triangulo ABO.

Porro: cum perpendiculares, PH, QG; item lineæ BG, AH, subjectas bases bifariam secent; erunt Triangula, BCG, ACH, singula totius ABC dimidia, adeoque inter se æqualia.

Sunt autem anguli PHC, HCG, CGQ recti, & inde lineæ PH & CA, item CB & QG parallelæ: & Triangula ACP, ACH; item BCQ, BCG super eadem basi & in iisdem parallelis, inter se æqualia: eademque ACP, BCQ (quæ & ipsa propter angulorum ACP & BCQ, laterumque circa illos æqualitatem æqualia sunt & similia, quod certa de causa obiter notamus) consequenter æqualia toti Triangulo ABC.

Demtis ergo utrinque Triangulis ACD, BCE, i.e. Triangulo ACD, BDK, & Trapezio MKLN (loco ECKD, Trianguli BCE) æqualia remanebunt Triangula QEC, CDP, duobus Trapeziis AMLF & BNLF.

Cum ergo supra ostensum sit, Triangula QAE, BDP, una cum Trapeziis BNLF, AMLF æquari Triangulo ABO; assumtis loco Trapeziorum Triangulis QEC, CDP, erunt Triangula ACQ, BCP æqualia Triangulo ABO, & hoc duplum ipsius ACQ, q. e. d.

N. II.

Ostendendum sit (Fig. II.) constitutis super Trianguli rectanguli Scaleni ABC Lateribus, Triangulis Isogonis ABO, BCP, CAQ, primum horum æquari duobus postremis.

Demonstratio ab antecedenti nihil differt, nisi quod puncta F & I, utin; Schemate priori, non concurrant.

DUPLATIO TRIANGULI ISOGONI.
VIA UNIVERSALI.

Constitutis (Fig. III) ut supra, super latera Trianguli rectanguli isoscelis ABC, Triangulis æquilateris, ostendendum fit, Triangulum ABO, æquale esse duobus ACQ & BCP.

Per puncta O, P, Q, lateribus AB, AC, CB, ducantur parallelæ, OG, pD, QF; & his aliæ parallelæ, CK, GE, SG:

Eritque Triangulum $\left. \begin{array}{l} CBD \\ CAF \end{array} \right\}$ æquale Triangulo $\left. \begin{array}{l} CBP \\ CAQ \end{array} \right\}$

Quia sub iisdem basibus & in iisdem Parallelis sunt.

Assumpta vero ex AB linea BH, æquali ipsi FA; erit ob æqualitatem basium intra easdem parallelas, Triangulum HBC æquale Triangulo FAC: & consequenter Triangulum HCD, æquale duobus Triangulis BCP & ACQ. Porro: ob situm inter easdem parallelas, eademque bases

ABO	}	æquale est Triangulo	ABG
BGA			BGC
CBG			CBE
& consequenter			
CBE			ABO

Jam ut ostendatur, lineas BD & EH esse æquales: in Parallelogrammo rectangulo Sp GR, lineæ Sp, GR; item BK, LH sunt æquales: sumatur GL sive RH, æqualis BS sive Kp, eruntque, demtis utrinque æqualibus pH & BG, residua HR & BS æqualia.

Et quia Triangula BSD & HRE sub æqualibus basibus HR, BS æquales (ob parallelismum lineatum, quibus continentur) habent angulos; erunt etiam æquales hypotenusæ HE, BD.

Et consequenter: Triangula BDC, EHC, æqualium basium BD & EH, & sub iisdem parallelis ED, KC, erunt æqualia.

Addito jam ipsi EHC, communi Triangulo HBC, æquali ipsi FAC, sive EHC; erit Triangulum BCE, i. e. ABO, æquale Triangulo HCD, i. e. duobus Triangulis BCP, ACQ, q. e. d.

N. IV.

Eadem Methodo (Fig. IV) ostenditur, super Trianguli rectanguli ACB Scaleni hypotenusa AB, constitutum Triangulum æquilaterum ABO, æquale esse Triangulis æquilateris, CBP, ACQ, super crura CB, AC constructis, simul sumtis.

Si enim per puncta O, P, Q, singulis lateribus Trianguli ABC parallela, GO, QE, PD; & his aliæ parallela Cq, BG, GF, ducantur: reliqua demonstratio pene conveniet cum superiori.

Notandum autem: Si loco Triangulorum similia Parallelogramma, aut etiam Triangula irregularia similia sumantur, demonstrationem parum variari; universalitatem vero demonstrationis ad oculum apparere.

N. V.

Eadem methodo (Fig. V) ostenditur: In Triangulo rectangulo quocunque ABC, quadratum hypotenuse ABVT, æquale esse duobus quadratis BCpP, ACQq, reliquorum laterum quomodocunque se habentium.

Ductis enim, ut antea, parallelis, CS, PO, OR: ob situm inter easdem parallelas, easdemque bases

Parallelogrammum $\left\{ \begin{array}{l} BCSD \\ ACGE \\ CGHB \end{array} \right\}$ æquale est Parallelogr. $\left\{ \begin{array}{l} BCpP \\ ACQq \\ CGEA \end{array} \right\}$

Et consequenter, Parallelogrammum HGSD æquale est duobus quadratis, BCpP, & ACQq.

Porro sub iisdem Basibus & intra easdem parallelas, æquale est Quadratum ABVT Parallelogrammo ABOo; huic eadem ratione BOCl, & huic BCFR. Quia autem supra num. 3 ostensum est, lineas BP, HV (ibi BS, HR) æquales esse: hinc sequitur, & BD, æqualem HF; & sub his basibus, iisdemque parallelis DF, SR, parallelogrammum BDSC æquale esse parallelogr. HGRF.

Addito ergo communi BHGC, erunt BCFR, i.e. ABVT, & HGSD i.e. BCpP & ACQq simul, æqualia, q. e. d.

Quod vero demonstrationem hanc universalem nominare auctissimus, ex Figura IVta facillime apparet, si loco Triangulorum Parallelogramma similia sumantur: demonstratio enim pene eadem erit. In figuris regularibus Triangula e centrīs assumi, aut eadem ad Parallelo-

rallelogramma reduci poterunt: eadem ut in irregularibus manente demonstratione.

Cæterum quamvis mutata horum Diagrammatum constructione, idem modis aliis compluribus demonstrari potuisset: in præsens tamen ad continuandam propositionem Pythagoream sequens enunciatum hic referre suffecerit: IN OMNI PYRAMIDE RECTANGULA, TRIA QUADRATA LATERUM, ANGULOS RECTOS IN VERTICE COMPREHENDENTIUM, ÆQUALIASUNT QUADRATO DIAMETRI SPÆRÆ CIRCUMSCRIPTÆ. Nesciis nobis, utrum a quoquam enunciatum hoc sit demonstratum, semestre spacium (exemplo *P. Hartmanni*, ad laborem hunc nos invitantis) definitum sit: intra quod demonstrationem ejus aut ab aliis expectabimus, aut ipsi dare tenebimur. An autem (ut analogice apparet) uti IN CIRCULO, UNICA MEDIA PROPORCIONALIS; sic etiam IN SPHÆRA DUÆ inveniri possint, curiositatis uniuscujusque persandum relinquimus.

ECLIPSIS LUNÆ

Anno 1681, die 29 August. mane

GEDANI

a

JOH. HEVELIO

observata.

Tempus juxt. Horol. amb.				Altitudi- nes.		Tempus corre- ctum		
Hor.	/.	//.		o.	l.	Hor.	/.	//.
1.	1.	3.	Altitudo Palilicii.	24.	14.	1.	4.	48.
2.	4.	30.	Eadem altitudo.	32.	58.	2.	6.	32.
2.	9.	0.	Rufus capta.	33.	36.	2.	10.	32.
2.	45.	0.	Vestigium penumbrae.			2.	46.	30.
2.	53.	0.	Penumbra paulo densior.			2.	54.	0.
2.	59.	0.	Adhuc densior.			3.	0.	0.
3.	1.	0.	Densissima.			3.	2.	0.
3.	2.	0.	Initium Eclipseos.			3.	3.	0.
3.	6.	0.	Prima Phasis.			3.	6.	30.

Tempus

Tempus juxt. Horol. amb. Hor. / . //			Altitudi- nes o. /.	Tempus corre- ctum. Hor. / . //
3. 12. o.	Secunda Phasis.			3. 12. 30.
3. 14. o.	Tertia Phasis.			3. 14. 30.
3. 20. o.	Quarta Phasis.			3. 21. o.
3. 22. 30.	Mons Sinai totus tectus.			3. 23. o.
3. 29. o.	Sexta Phasis.			3. 30. o.
3. 43. o.	Altitudo Pollucis.	30. o.		3. 43. o.
5. 2. o.	Centrum Solis oritur.			

ANIMADVERTENDA.

Initio, Hor. sc. 1 matutina, cum Speculam ascenderem, vix spes aliqua, ob nubes totum fere cœlum obtegentes, dabatur vel quicquam solidi observandi; at vero circa Hor. 2 nubibus paulatim dehiscen-
tibus, Eclipses hujus, tam Initium penumbræ, quam ipsum verum Initi-
um optime notare, ac etiam sex Phases crescentis ad Hor. usque 3, 22
min. faciei Lunaræ, in Schemate delineare mihi obtigit; at postmodum
densissimæ nubes intervenerunt, ut nihil quicquam amplius de reli-
quis Phasibus, maxima obscuratione, multo minus de decrescen-
tibus observari potuerit: atque exinde minime constat, quanta hæc Ecli-
psis extiterit, aut quousque duraverit. Color ejus erat cineritius, sive
fuliginæus. Tempore observationis *Mons Porphyrites*, & *M. Ætna*
fere in eodem perpendicularo existebant.

Phasis I. quæ in Schemate delineata fuit, per *Montem Eoum* trans-
ibat.

II. Ad *Paludes Arabia* incedebat.

III. Inferiorem ripam *Paludis Maræotidis*, & extremitatem
Sinus Sirbonis tangebatur.

IV. Per *Insulam Levoam* incedebatur, ad ipsum *M. Sinai* usque;
sed dictus *Mons* totus adhuc erat conspicuus.

V. *Sinum Syriticum* transire videbatur, sic ut totum *M. Sinai*
umbra jam tegeret.

VI. Supra *Sinum Syriticum*, ultra *Ins. Cretam*, & per *Mare*
Mortuum incedebatur.

His Phasibus delineatis densissimæ nubes intervenerunt, ut nihil quicquam amplius, utut animitus exoptassem, deprehendere poterim. *Nova* vero *Stella in collo Ceti* hac nocte, Luna etsi plena & splendens, major erat ea in ore Ceti, sed nondum æquabat lucidam Mandibula; altera vero *in collo Cygni*, nudis oculis ob ejus tenuitatem, parvitatemque haud quidem conspecta, sed Telescopio tamen deprehensa est.

Excerpta est hæc observatio, quam Celeberrimus Autor in restituta, (de quo & ipsi & universo Orbi literato enixe gratulamur) post immanem fortunarum laborumque ex lugubri incendio jacturam, Specula sua Astronomica, inter primas instituit, ex literis Ejusdem, d. 20 Dec. st. nov. 1681: cui etiam longe benevolentissimam Operum suorum, hoc anno, per Dei gratiam edendorum, communicationem nos debere, cum proluxa gratissima mentis significatione non possumus non profiteri. Tanti autem eadem nobis est, ut ex voto & re Eruditorum omnino existimemus, si nobis indicibus, velut anticipato, quide penu Celeberrimi Hevelii ipsis brevi expectandum sit, cognoscant. Inter ea vero sunt

I. Annus climactericus, sive Rerum Uranicarum aut observationum Annus quadragesimus nonus; exhibens diversas occultationes, tam Planetarum, quam Fixarum, post editam *Machinam Cœlestem*; nec non plurimas altitudines meridianas Solis, ac distantias Planetarum, Fixarumque Anno 1679, quousque divina benignitas concessit, impetratas, cum Amicorum nonnullorum Epistolis ad rem istam spectantibus. Gedani in Folio.

Continebit Liber, referente Cel. Autore, observationes maxime notabiles rarissimasque, post editam Machinam cœlestem, ad feralem usque incendii diem, quo tota ipsius Urania conflagavit, nim. 26 Sept. ex æthere impetratas: eas cumprimis, quas presente Præcl. Domino Edmundo Hallejo, Illustris Societatis Regiæ Anglicanæ, in fidem Instrumentorum suorum nudis pinnacidiis constructorum, observationumque totis quinquaginta annis habitarum, ac parte II Machinæ Cœlestis comprehensarum, habuit. Quæ singulari divini Numinis Benignitate flammis erepte, curiosis siderum scrutatoribus vel eo nomine acceptæ erunt, quod suffragio suo cæterarum, ex quibus Catalogum Stellarum Fixarum, Globosque accuratissimos mox habebunt, stabilient. Acceder
is con-

sis continuatio historiarum novarum Stellarum, imprimis miræ illius in collo Ceti.

II. Literæ & judicia Illustrum ac Celebratissimorum Virorum de Rebus Astronomicis, ad JOH. HEVELIUM; studio atque opera I. E. O. Gedani.

III. Uranographia, Sidera Universa ex Catalogo *Cel. Autoris*, tam circa Polum Arcticum, quam Antarcticum, in plano, secundum omnium Stellarum veram magnitudinem complexa. Referet ea, præter Stellas alias recensâs, 800 circiter novas; Asterismos pristinis recenter adjectos, Camelopardalim, Canes Venaticos, Lacertam, Leonem Minorem, Lynxem seu Tigridem, Monocerotem, Urania sextantem a Vulcano repetitum, Triangulum minus, & Vulpeculam cum Anserè.

IV. Globi cœlestes diversissimæ magnitudinis, ad annum 1700 completum: ex observatis, diligentia tot annorum incredibili, stellarum omnium hætenus cognitarum locis correcti, & altera fere parte Stellarum, atque hætenus prodierunt auctiores. Cujus documentum est Tabella ad latus posita, numerum Stellarum Tychonicarum & Hevelianarum unius & alterius sideris referens: Sparsis illis, quæ ab aliis huic illive Asterismo adscriptæ, a Nostro vero novis suis tributæ sunt, non connumeratis.

Sidera Cœlestia,	Num. Stell. in Globis Tychonis,	Hevelii.
Andromeda.	23.	48.
Antinous.	7.	26.
Aquila.	11.	24.
Bootes.	26.	54.
Canis Minor.	3.	14.
Cepheus.	11.	52.
Cetus.	22.	47.
Cygnus.	26.	48.
Hercules.	28.	49.
Leo.	36.	60.
Pegasus.	20.	34.
Perseus.	28.	46.
Serpentarius.	18.	37.
Ursa Major.	36.	74.

V. Catalogus Stellarum Fixarum omnium, ex observationibus multorum annorum indefesso labore Gedani habitis, constructus, ac plurimis stellis hætenus nondum a quoquam observatis, locupletatus; exhibens tam Longitudines, & Latitudines, quam Ascensiones Rectas & Declinationes, ad Annum

Annus Christi completum 1660. Cui annexa sunt quorundam Illustrissimorum Virorum loca, ad eundem Annum deducta, earum videlicet Fixarum, quas ipsi olim observarunt, secundum Longitudinem & Latitudinem: utpote *Tychonis Brahei, Principis Hassæ, Riccioli, Ulug Beighi, & Ptolemæi.* Quo protinus ad oculum cuique pateat, an & quousque observationes omnium convenient? an vero & in quantum discrepent?

Huic Catalogo Universali, annexus erit alter ad annum 1700 completum, secundum longitudinem & latitudinem, cum Tabula Ascensionum & Declinationum, & quidem 526 Fixarum, earundemque differentis, inter annum videlicet 1660 & 1760.

Hæc præter Cel. Vir in quindecim Volumina, Vulcano per Dei gratiam subducta, Literas omnes Illustrium ac Clarissimorum Virorum ad se scriptas, cum responsionibus, ab anno 1630 ad præsentem 1682, digessit: in quibus præter ea, quæ ad Astronomiam, Geometriam, Opticam, Chronologiam, Mechanicam & Physicam spectant, nihil rerum privatarum aut aliorum in Orbe gestorum; atque inde tanto Orbi Erudito thesaurus sperandus foret, si, quod elegantissima Typographia Heveliana, ubi flammas indignas evassisset, præstitura fuisset, aliorum opera sumtuque, in vicem laudabilem succedente, sperari posset. Plurimum certe referret, aliis etiam constare, ut verbis laudatæ Epistolæ rem enunciemus: quid inter nos (Dnum Hevelium, Aliosque) gestum, scriptum, disceptatum, & quibus rationibus quilibet res suas corroboraverit, tum quorum opinio de diversissimis rebus mathematicis prævaluerit.

Potuissemus, insignis colophonis loco, antegressis adjungere Catalogum MSSorum ἀνεκδότων Celeberrimi Kepleri, in scriniis Dni. Hevelii hæctenus reconditorum, Eadem Humanissima Manu Nobis indultum: nisi jam laborem hunc Clariss. Editor Transactionum Philosophicarum Anglicarum Anno 1674, Vol. octavo, pag. 20 occupasset,

Ne vero, pari cum cætera erudita supellectile Heveliana fato, Eadem diris flammis in rapinam cessisse, frustra quisquam forte doleat; suffecerit hic divinam clementiam debite deprecasse, per quam ea tam Vulcani, quam Aurolyci deprædatrices manus, singulari providentia evasere: ut adeo Celeberrimo Possessori & hunc thesaurum, obstetricantibus Eorum, qui publico ea curare possunt, manibus, grata aliquando debere possit posteritas.